

ORDO DIVINI SACRIFICII

SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS CHRYSOSTOMI

Testo completo della Divina Liturgia di San Giovanni Crisostomo nella traduzione latina di Erasmo da Rotterdam (dal vol. 63 della Patrologia Greca del Migne)

Sacerdos divinum mysterium peracturus, ante omnia confessus et cum omnibus reconciliatus, cor etiam pro viribus purum conservare debet a pravis cogitationibus, et a vespere continuisse, atque usque ad sacrificii tempus vigilasse. Tempore autem sacrificii instante; postquam solitam præsidi pœnitentiam fecerit, templum ingreditur, et diacono junctus, ter simul adorant ad orientem coram Salvatoris et sanctissime Deiparæ imagine, et ad duos choros singulatim inclinant. Quando autem adorant, hanc orationem secreto dicunt:

Domine Deus noster, emitte manum tuam ex sancto habitaculo tuo, et confirma me ad propositum ministerium tuum, ut inculpate tremendo tuo tribunali adstans, incruentum sacrificium peragam; quia tua est potentia et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ingressi autem in sacrarium accipiunt uterque manibus suis tunicam sibi propriam, et tres reverentias versus orientem faciunt, apud se dicentes: Deus propitius esto mihi peccatori. (Luc. 18:13).

Deinde diaconus inclinato capite accedit ad sacerdotem, et manu dextera tenens dalmaticam cum stola dicit: Benedice, domine, dalmaticam cum stola.

Sacerdos vero manu benedicens, ait: Benedictus Deus noster perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde secedit diaconus seorsum in unam sacrarii partem, et induitur tunica sic orans: Exsultabit anima mea in Domino: induit enim me vestimento salutis, et tunica lætitiæ circumdedit me: et tamquam sponso mihi mitram imposuit, et sicut sponsam me ornamento circumvestivit (Isai. 61:10)

Et stolam osculatus, sinistro humero illam imponit. Sacerdos quoque accepta tunica, illam benedicit, et osculatus induit, dicens apud se præfatum psalmum sicut diaconus. Et sacerdos accipit in dextera manu supermanicalia, et dicit: Dextera tua, Domine, glorificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, confregit inimicos, et multitudine gloriæ tuæ confregisti adversarios; dextera Domini fecit virtutem (Exod. 15:6). In sinistra vero manu, sic dicit: Manus tuæ fecerunt

me et plasmaverunt me (Psal. 118:73).

Deinde accipiens stolam, et benedicens, osculatur; et collo suo imponens, dicit: Benedictus Deus, qui effundet gratiam suam super sacerdotes suos, ut unguentum super caput, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, ut ros Ærmon, qui descendit in montes Sion: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in sæculum (Psal. 132:2).

Et accipiens zonam, et benedicens, osculatur, et dicit: Benedictus Deus, qui præcingit me virtute, et effundit gratiam suam perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde accepto subgenuali, si est protosyncellus magnaæ ecclesiæ, vel quivis alius habens dignitatem aliquam, et postquam benedixit, et osculatus est, dicit: Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime: speciem tuam et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua (Psal. 44:5) perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde accipiens casulam, et benedicens, exosculatur et ait: Sacerdotes tui, Domine, induent justitiam, et sancti tui exultatione exultabunt perpetuo (Psal. 131:7), nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dehinc procedentes ad propositionis mensam, lavant manus dicentes: Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitations gloriæ tuæ: ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus; ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, Domine, et miserere mei: pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine (Psal. 25:12).

Diaconus vero sacra præparat, sanctum quidem discus ad partem sinistram, calicem vero ad dexteram, et alia cum ipsis. Dehinc tres reverentias ante propositionis mensam facientes dicunt: Deus propitius esto mihi peccatori, et miserere me. (Luc. 18:13); et illud: Redemisti nos de maledicto legis pretioso sanguine tuo, cruci affixus et lancea perforatus,

immortalitatem tamquam ex fonte præbuisti hominibus, Salvator noster, gloria tibi.

Deinde dicit diaconus: Benedic, domine. *Et benedicit sacerdos:* Benedictus Deus noster perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde accipit sacerdos in sinistra manu oblationem, in dextera vero sanctam lanceam; et cum ea signum faciens supra sigillum oblatae, ter dicit: In memoriam Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Et statim infigit sanctam lanceam in dexteram partem sigilli, et scindens dicit: Tamquam ovis ad occisionem ductus est. *In sinistra similiter infigens sanctam lanceam dicit:* Et sicut agnus sine malitia coram tondente se sine voce, sic non aperit os suum (*Isai.* 53:7)

In superiore autem parte sigilli infigens sanctam lanceam dicit: In humilitate ejus iudicium ejus sublatum est. *In inferiori etiam sigilli parte rursus infigens sanctam lanceam dicit:* Generationem ejus quis enarrabit? (*Ibid.* v. 8)

Diaconus vero in qualibet incisione dicit: Dominum precemur. *Tenens autem dextera manu stolam, postea dicit diaconus:* Tolle, domine.

Et sacerdos immittens sanctam lanceam, ex obliquo dexteræ partis oblatae, extollit sanctum panem sic dicens: Quia tollitur de terra vita ejus, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. *Et ponens ipsum sublimem in sancto disco, postquam dixit diaconus,* Immola, domine, *sacerdos sacrificat illum in modum crucis, dicens:* Immolatur Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, pro mundi vita et salute. *Et convertit aliam partem, quæ habet superne crucem; et dicit diaconus:* Punge, domine.

Sacerdos autem ipsum in dextera pungens cum sancta lancea dicit: Et unus militum lancea latus ejus aperuit; et statim exivit sanguis et aqua (*Joan.* 19:34). *Diaconus autem infundit in sanctum calicem vinum et aquam simul, postquam sacerdoti dixit:* Benedic, domine, mixtionem hanc. *Et sacerdos benedicit.*

Deinde accipiens sacerdos secundam oblatam, dicit: In honorem et memoriam super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ: cujus precibus suscipe, Domine, sacrificium hoc in supercæleste altare tuum.

Et elevans particulam cum sancta lancea, ponit ad sinistram sancti panis. Postea tertiam oblatam accipiens, dicit: Honorandi gloriosi prophetæ

Præcursoris et Baptistæ Joannis, sanctorum gloriosorum patrum nostrorum pontificum, Basilii Magni, Gregorii Theologi, Joannis Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Nicolai Myrensis, et omnium sanctorum pontificum; sancti apostoli, primi martyris et archidiaconi Stephani; sanctorum magnorum martyrum, Georgii, Demetrii, Theodori et omnium sanctorum martyrum; sanctorum deiferorum patrum nostrorum, Antonii, Euthymii et Sabæ sanctificati, Onuphrii, Arsenii, Athanasii in monte Atho, et omnium sanctorum; sanctorum medicorum absque mercede, Cosmæ et Damiani, Cyri et Joannis Eleemosynarii et Hermolai, Sampsonis et Diomedis, Thallalei et Tryphonis, et reliquorum; sanctorum Deiparentum Joachim et Annæ; sancti illius, cujus est dies festus; et omnium sanctorum, quorum precibus protege nos, Deus.

Et sic attollens particulam, ponit eam infra dexteram partem. Deinde accepta alia oblata dicit: Pro archiepiscopo nostro N.: venerandu presbyteratu, in Christo diaconatu, et omni sacerdotali ordine: pro memoria et remissione peccatorum semper memorabilium conditorum huius sanctæ ædis. *Hic vivorum et mortuorum, quorum vult sacerdos, nominatim mentionem facit.* Et omnium qui in spe resurrectionis et vitæ æternæ in communionem tuam obierunt, orthodoxorum patrum et fratrum nostrorum, benigne Domine, veniam indulge. *Et sic particulam attollens, ponit illam infra sinistram partem.*

Accepto deinde thuribulo et incenso diaconus dicit sacerdoti: Benedic, domine, incensum; et Dominum precemur. *Et sacerdos dicit orationem:* Incensum tibi offerimus, Christe Deus, in odorem suavitatis spiritualis, quem suscipe, Domine, in sanctum et supercæleste et spirituale altare tuum: et repende nobis abundantes tuas miserationes, et illas largire nobis servis tuis, qui invocamus nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus Sancti, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus: Dominum precemur. *Et sacerdos cum asteriscum suffumigaverit, ponit eum super panem, et dicit:* Et veniens stella stetit supra ubi erat puer jacens (*Matth.* 2.9), perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus: Dominum precemur. *Sacerdos postquam primum velum incenso honoravit, tegit sanctum panem et dicit:* Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se: etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur (*Psal.* 92.1). Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum, perpetuo, nunc et semper, et in

sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus: Dominum precemur. Tege, domine. *Sacerdos suffumigans secundum velum, et tegens sanctum calicem dicit:* Operuit cælos virtus tua Christe, et laudis tuæ plena est terra perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus: Dominum precemur. Tege, domine. *Et sacerdos suffumigans aerem, et utraque velans, ait:* Protege nos sub umbra alarum tuarum (*Psal. 16.8*), Deus noster, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde ligatis ambo manibus, postquam pie adoraverunt, dicunt: Benedictus Dominus Deus noster, cui sic complacuit, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus in propositione donorum pretiosorum: Dominum precemur. *Sacerdos propositionis orationem emittit:* Dominus Deus noster, qui cælestem panem, et escam totius mundi Dominum nostrum et Deum Jesum Christum misisti Salvatorem et redemptorem et beneficium, nos benedicentem et sanctificantem; ipse benedic hanc propositionem, et suscipe eam in supercæleste tuum altare: memento ut bonus et benignus eorum qui obtulerunt, et nos inculpatos custodi, in celebratione divinatorum tuorum mysteriorum. *Elata voce:* Quoniam sanctificatum et glorificatum est, honorabilissimum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et completa oratione propositionem suffumigat, et dimissionem facit, dicens: Gloria tibi, Christe Deus, spes nostra. *Diaconus:* Gloria Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos: Christus verus Deus noster, intercessionibus sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ, virtute venerandæ et vivificæ crucis et omnium sanctorum, misereatur nostri, utpote bonus Deus et benignus. *Chorus:* Amen.

Et sic diaconus accepto thuribulo, abit, et sanctam mensam cruciformiter in circuitu incensat, dicens apud se: In sepulcro cum corpore, in inferis autem cum anima ut Deus; in paradiso cum latrone, et in throno eras, Christe, cum Patre et Spiritu, omnia implens, qui incircumscriptus es. *Et psalmum quinquagesimum recitat:* Miserere mei. Deus.

Et postquam incensavit sacrarium et totum templum,

ad sanctum tribunal rursus ingreditur. Et postquam incensavit sanctam mensam et sacerdotem, thuribulum deponit in proprio loco: ipse vero accedit ad sacerdotem: et simul stantes ante sanctam mensam, et apud ea quisque adorantes et orantes dicunt: Rex cælestis, Paraclete, Spiritus veritatis, qui ubique præsens es et omnia imples, thesaurus bonorum et vitæ largitor, veni et habita in nobis, et purga nos ab omni macula, et serva, o bone, animas nostras. *Illud,* Gloria in excelsis Deo, et in terra (*Luc. 2.14*), *bis; et illud,* Domine, labia mea aperies (*Psal. 50.17*); *et reliqua, semel.*

Deinde osculatur sacerdos Evangelium; diaconus autem sanctam mensam. Deinde diaconus caput inclinans sacerdoti, et stolam suam tribus dexteræ suæ digitis tenens ait: Tempus faciendi Domino. *Benedic, domine. Et sacerdos ipsum signans dicit:* Benedictus Deus noster perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Diaconus: Ora pro me, domine. *Sacerdos vero:* Dirigat Dominus gressus tuos. *Et rursus diaconus:* Recordare mei, domine. *Sacerdos vero:* Recordetur tui Dominus Deus in regno suo, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Diaconus:* Amen, amen, amen. *Et postquam ter adoraverunt, dicunt apud se:* Domine, labia mea aperies, etc.

Et postea egreditur diaconus ex tribunali, et postquam ter adoravit, dicit alta voce: Benedic, domine. *Sacerdos autem alta voce dicit:* Benedictum regnum Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Diaconus alta voce: In pace Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro superna pace et salute animarum nostrarum Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro pace totius mundi, stabilitate sanctorum Dei Ecclesiarum, et pro omnium concordia Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro hac sancta domo, et pro iis qui cum fide, pietate et timore Dei ingrediuntur in eam, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro Archiepiscopo nostro N., venerandis presbyteris, in Christo diaconis, universo clero et populo Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro pissimis et a Deo custoditis Imperatoribus nostris, pro toto palatio et exercitu ipsorum, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut una cum illis bellum gerat, et subiiciat sub pedibus eorum omnem inimicum et hostem, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro Sancta hac mansione, tota urbe et regione, et iis qui cum fide in illis habitant,

Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Pro bona aeris temperie, et pro fructum terræ fertilitate, et pacificis temporibus Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Pro navigantibus, iter agentibus, ægrotis, laborantibus, captivis, et pro salute ipsorum, Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Ut liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere.

Oratio antiphoni primi secreto.

Domine Deus noster, cujus nec potentia æstimari, nec gloria comprehendere potest, cujus misericordia immensa, et benignitas ineffabilis est, ipse, Domine, pro tua miseratione in nos respice, et in hanc sanctam domum: et fac nobiscum et cum iis qui nobiscum precantur abundantes misericordias et miserationes tuas.

Sacerdote dicente orationem secreto in tribunali, eodem tempore diaconus extra tribunal pacifica recitat. Si autem non sit diaconus, sacerdos post orationem dicit, elata voce, et postea pacifica.

Diaconus: Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et mutuo, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. *Chorus*: Tibi, Domine.

Alta voce sacerdos: Quoniam tibi convenit omnis gloria, honor et adoratio, Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus*. Amen.

Post pacifica chorus psallit primam antiphonam vel typica, si est Dominica; sin vero, quod diei proprium est.

Oratio antiphoni secundi secreto.

Domine Deus noster, salvum fac populum tuum, et benedic hereditatem tuam, plenitudinem Ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica diligentes decorem domus tuæ: tu ipsos vicissim glorifica divina tua potentia, et ne derelinquas nos sperantes in te. *Nota etiam hic ut et prima oratione, si adsit diaconus, aut si absit.*

Diaconus: Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ,

Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et mutuo, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. *Chorus*: Tibi, Domine.

Alta voce sacerdos: Quoniam tua est potentia, et tuum est imperium, et virtus, et gloria, Patris, Filii, et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus*. Amen.

Post pacifica secunda cantat chorus secundum antiphonum, vel typica, si est Dominica; sin vero, quod diei est.

Oratio tertii antiphoni secreto.

Qui communes has et concordantes orationes largitus es, qui et duobus et tribus in tuo nomine convenientibus te petitiones daturum pollicitus es: ipse etiam nunc servorum tuorum petitiones imple ad utilitatem, suppeditans nobis in præsentem sæculo agnitionem veritatis, et in futuro vitam æternam largiens. *Nota et hic ut in prima et secunda oratione, si diaconus adsit, necne.*

Diaconus: Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus*: Domine, miserere. *Diaconus*: Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et mutuo, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. *Chorus*: Tibi, Domine.

Alta voce sacerdos: Quia bonus et benignus Deus es, et tibi gloriam referimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus*: Amen.

Hic chorus cantat tertium antiphonum, vel tertium et sextum canticum matutinorum. Si vero sit Dominica, cantat beatitudines, et quod proprium est sancti illius diei. Cum autem pervenit chorus ad Gloria Patri, sacerdos et diaconus ante mensam ter adorant. Deinde accipiens sacerdos sanctum Evangelium, dat diacono: atque ita egressi per portam aquilonaris partis veniunt ad consuetum locum, et et ingressum minorem peregunt, et inclinant ambo capita, et diacono dicente submisse: Dominum precemur; simul et stolam tribus digitis apprehendente, dicit sacerdos orationem ingressus.

Oratio ingressus sancti Evangelii secreto.

Dominator Domine Deus noster, qui constituisti in cælis ordines et exercitus angelorum et archangelorum in ministerium gloriæ tuæ, fac ut cum introitu nostro sit introitus sanctorum angelorum simul nobiscum ministrantium, et bonitatem tuam conglorificantium. *Alta voce:* Quoniam te decet gloria, honor et adoratio, Patrem et Filium et sanctum Spiritum, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus.* Amen.

Oratione finita, dicit sacerdoti diaconus: Benedic, domine, sanctum introitum: *ostendens simul cum stola partem orientalem.* *Et sacerdos cruce versus orientem facta dicit:* Benedictus ingressus sanctorum tuorum perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde diaconus accedit ad episcopum, qui osculatur Evangelium, si adest, si non adest, sacerdos osculatur. et ultimo modulo completo, ingreditur diaconus in medium: et stans ante sacerdotem, tollit modice manus, et ostendens sanctum Evangelium, dicit alta voce: Sapientia recta. *Tum reverentia exhibita, ipse et sacerdos pone ipsum, in sanctum tribunal ingrediuntur. Et diaconus quidem sanctum Evangelium in sacra mensa deponit: cantores vero dicunt consuetos modulos, et eos qui sunt sancti illius diei: et cum pervenerint ad ultimum, diaconus versus sacerdotem caput inclinans, et stolam manu tenens dicit:* Benedic, domine, tempus hymni ter sancti. *Et sacerdos sigillo muniens ipsum dicit:* Quoniam sanctus es, Deus noster, perpetuo, nunc et semper. *Modulo autem completo ad sanctas fores diaconus accedit, et foris stantibus stolam ostendit, alta voce dicens:* Et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Choro autem ter sanctum hymnum canente, sacerdos preceatur secreto.

Oratio hymni ter sancti secreto dicenda: Deus sancte, qui in sanctis requiescis, qui ter sancta voce a Seraphim laudibus celebraris, et a Cherubim glorificaris, et ab omni cælesti potestate adoraris, qui ex nihilo ad esse cuncta adduxisti, qui creasti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, et omni dono exornasti, qui das petenti sapientiam et intelligentiam, et non despicias peccantem, sed ad salutem posuisti pœnitentiam, qui nos humiles et indignos servos tuos dignatus es in hac hora stare ante gloriam sancti tui altaris, debitamque tibi adorationem et glorificationem exhibere: ipse, Domine, suscipe ex ore nostro peccatorum ter sanctum hymnum, et respice nos in bonitate tua: condona nobis omne peccatum voluntarium et involuntarium, et sanctifica animas corporasque nostra, et da nobis te in sanctitatem colere omnibus diebus vitæ nostræ, intercessionibus sanctæ

Deiparæ, et omnium sanctorum qui a sæculo tibi placuerunt. *Alta voce:* Quia sanctus es, Deus noster, et tibi gloriam referimus, Patri et Filio et Sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen. *His completis et choro psallente,* Gloria et nunc, *cantant et ipsi, sacerdos nempe et diaconus ter sanctum hymnum, facientes simul et tres reverentias ante sanctam mensam.* *Deinde dicit diaconus sacerdoti:* Benedic, domine: *et procedunt ad sedem.* *Et sacerdos abeundo dicit:* Benedictus qui venit in nomine Domini. *Diaconus autem:* Benedic, domine, supernam cathedram. *Et sacerdos:* Benedictus es super throno gloriæ regni tui, qui sedes super Cherubim, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Et completo hymno ter sancto, diaconus veniens ante ostium dicit: Attendamus. *Et sacerdos:* Pax omnibus. *Diaconus:* Sapientia. *Et lector incipit,* Alleluia, Psalmus David. *Et diaconus rursus:* Attendamus. *Lector propositum apostoli et diei.* *Et diaconus rursus:* Attendamus. *Et lectione apostoli completa sacerdos exclamat:* Pax tibi. *Diaconus:* Sapientia. *Et Chorus:* Alleluia, Psalmus David. *Et diaconus rursus:* Attendamus. *Lector propositum apostoli et diei.* *Et diaconus rursus:* Attendamus. *Et lectione apostoli completa, exclamat sacerdos:* Pax tibi. *Diaconus:* Sapientia. *Et Chorus:* Alleluia, Psalmus David. *Et accipiens diaconus thuribulum et incensum, accedit ad sacerdotem dicens:* Benedic, domine, incensum.

Benedicente autem sacerdote, et hanc orationem recitante: Incensum tibi offerimus, Christe Deus noster, in odorem suavitatis spiritualis, nobis vicissim repende divinam gratiam sanctissimi tui Spiritus perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen; *incensat diaconus sanctam mensam in circuitu, sacrarium totum et aerem.* *Et postea deposito thuribulo, venit ad sacerdotem, et inclinato ipsi capite, tenens stolam cum sancto Evangelio extremis digitis, videlicet in illo loco sanctæ mensæ dicit:* Benedic, domine, evangelistam sancti apostoli et evangelistæ N. *Sacerdos autem signans illum dicit:* Deus per intercessionem sancti gloriosi apostoli et evangelistæ N. det tibi verbum ad evangelizandum multa virtute. *Et diaconus dicit:* Amen. *Et adorato cum pietate sancto Evangelio, egressus per sanctas portas, præcedentibus lampadibus et suffimentis, venit et stat superne in ambone, aut in constituto loco.* *Sacerdos vero stans ante sanctam mensam, respiciens ad occidentem alta voce dicit:* Sapientia recta: audiamus sanctum Evangelium. *Et diaconus:* Ex Evangelio sancti N. lectio. *Et sacerdos:* Attendamus. *Completo autem Evangelio, dicit diacono sacerdos:* Pax tibi. *Et diaconus veniens usque ad sanctas portas reddit sanctum Evangelium sacerdoti.*

Deinde in consueto loco stans sic incipit: Dicamus omnes ex tota anima, et ex tota mente dicamus. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Domine omnipotens, Deus Patrum nostrorum, precamur te exaudi et miserere. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Miserere nostri, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, precamur te, Domine, exaudi. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Etiam precamur pro piissimis et a Deo custoditis Imperatoribus nostris, ut concedas ipsis potentiam, victoriam, perseverantiam, pacem, sanitatem, salutem, et ut Dominus Deus noster magis ac magis ipsos adjuvet et in omnibus dirigat, et sub pedibus eorum subjiciat omnem inimicum et adversarium. *Chorus:* Domine, miserere.

Sacerdos autem hanc orationem secreto dicit: Domine Deus noster, intensam hanc supplicationem a servis tuis suscipe et miserere nostri, secundum multitudinem misericordiæ tuæ, et miserationes tuas in nos demitte, et in omnem populum tuum, qui copiosam misericordiam a te exspectat. *Alta voce:* Quoniam misericors et benignus Deus es, et tibi gloriam referimus, Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Diaconus: Rogate, catechumeni, Dominum. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Fideles pro catechumenis precemur, ut Dominus eorum misereatur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut erudiat eos verbo veritatis. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut revelet ipsis evangelium justitiæ. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut uniat eos sanctæ, catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Serva, miserere, protege et custodi illos, Deus, gratia tua. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Catechumeni, capita vestra Domino inclinate. *Chorus:* Tibi, Domine.

Oratio catechumenorum ante sanctam oblationem quam dicit sacerdos secreto: Domine Deus noster, qui in altis habitas, et humilia respicis, qui salutem humano generi misisti per unigenitum Filium et Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, respice servos tuos catechumenos, qui suam tibi cervicem inclinarunt, et dignare illos in tempore opportuno lavacro regenerationis, remissione peccatorum, et indumento incorruptonis: uni eos sanctæ tuæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ, et annuere eos cum electo tuo grege. *Alta voce:* Ut et ipsi simul nobiscum glorificent venerandum tuum et magnificum Nomen, Patris et Filii et sancti Spiritus, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Post exclamationem accipit sacerdos corporale, et, ut moris est, expandit. *Diaconus:* Quotquot catechumeni

accedite, quotquot catechumeni accedite, quotquot catechumeni accedite: ne quis ex catechumenis maneat. Quotquot fideles etiam atque etiam in pace Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere.

Oratio fidelium prima, postquam expansum est corporale, quam sacerdos secreto dicit: Gratias agimus tibi, Domine Deus Virtutum, qui dignatus es ut nos nunc altari tuo adstaremus, et procideremus ante miserationes tuas pro peccatis nostris et ignorantibus populi: suscipe Deus supplicationem nostram: fac nos esse dignos qui offeramus tibi preces, supplicationes et incruenta sacrificia pro toto populo tuo; et fac nos idoneos, quos in hoc ministerio posuisti, ut in virtute Spiritus tui sancti inculpate et innoxie in puro conscientia nostræ testimonio, invocemus te in omni tempore et loco, ut exaudiens nos, propitius nobis sis in multitudine bonitatis tuæ.

Orante sacerdote, diaconus, si adest, pacifica recitat extra sanctum tribunal, in consueto loco: Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere.

Diaconus: Pro Sancta hac mansione, tota urbe et regione, et iis qui cum fide habitant in illis, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro aeris temperie, fructum terræ fertilitate, et pro temporibus pacificis Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro navigantibus, iter agentibus, ægrotantibus, laborantibus, captivis, et pro salute ipsorum Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Suscipe, serva, miserere et custodi nos per gratiam tuam, Deus. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Sapientia. *Sacerdos alta voce:* Quia te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patrem et Filium et sanctum Spiritum, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Oratio fidelium secunda, quam sacerdos secreto dicit. Iterum et sæpius coram te procidimus, et te rogamus, bone et clemens, respiciens supplicationem nostram, purges animas et corpora nostra ab omni inquinamento carnis et spiritus, et des nobis innoxiam et inculpata ad sanctum altare tuum frequentiam. Largire autem, Deus, etiam iis qui nobiscum precantur profectum vitæ et fidei et spiritualis prudentiæ: da iis qui te semper cum timore et amore colunt, ut innoxie et inculpate sanctis mysteriis tuis participent, et cælesti regno dignentur.

Orante sacerdote, diaconus pacifica recitat ante sanctum tribunal.

Sacerdos alta voce: Ut a potentia tua jugiter custoditi, tibi gloriam referamus, Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Post exclamationem dicit orationem apud se: et cantores hymnum canunt Cherubicum. Diaconus autem accedens ad sacerdotem, cum incenso suffumigat in modum crucis et in circuitu sanctam mensam, sacrarium et sacerdotem. Et postea stat reverenter ad sinistram sacerdotis, exspectans orationis complementum. Oratio quam secreto dicit sacerdos, dum Cherubicus hymnus cantatur.

Nullus eorum, qui carnalibus concupiscentiis et voluptatibus sunt irretiti, dignus est, qui accedat vel appropinquet et ministret tibi, Rex gloriæ: ministrare namque tibi, magnum et tremendum est etiam cælestibus Potestatibus. Attamen ob ineffabilem et immensam tuam benignitatem sine mutatione, factus es homo et Pontifex noster appellatus, et hujus solemnus et incruenti sacrificii sacrum ministerium nobis tradidisti, utpote Dominus universorum. Tu enim solus, Domine Deus noster, dominaris cælestibus et terrenis: qui super thronum Cherubicum veheris, Seraphinorum Dominus et Rex Israel, solus sanctus et in sanctis requiescens. Te igitur deprecor, qui solus bonus es, et libenter exaudis, respice in me peccatorem et inutilem servum tuum; et purga animam meam et cor meum a conscientia mala, et idoneum me fac per virtutem Spiritus Sancti tui, indutum per gratiam tuam sacerdotali ministerio, ut huic sanctæ tuæ mensæ assistam, et tuum sanctum et immaculatum corpus et pretiosum sanguinem consecrem. Tibi enim inclinata cervice supplico, et precor te ne avertas faciem tuam a me, nec me ex servorum tuorum numero rejicias, sed dignare ut a me peccatore et indigno famulo tuo hæc dona offerantur. Tu enim es qui offers, et cui offeretur, et accipis et distribuis, Christe Deus noster, et gloriam referimus cum principio carente Patre, et sanctissimo, bono vivificoque tuo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Completa autem oratione, Cherubicum simul hymnum precantes recitant, et ter recitando adorant, deinde quinquagesimum psalmum secreto, et ter adorantes procedunt ad propositionis mensam, præeunte diacono cum incenso, et postquam sancta incensavit, apud se sic precatur: Deus propitius esto mihi peccatori. *Sacerdos dicit:* Tolle. Domine.

Sacerdos autem velum aerem dictum imponit sinistro humero diaconi dicens: In pace extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum et terram, perpetuo, nunc

et semper, et in sæcula sæculorum. *Diaconus:* Amen.

Deinde sanctum discum sumit diaconus super caput suum cum attentione. Sacerdos autem, tollens sanctum calicem solum, et diaconus, dextera tenens thuribulum uno digito, et pertranseutes templum orant ambo pro omnibus dicentes: Memor sit Dominus omnium nostrum in regno suo, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen. *Et sæpius hoc dicunt donec compleatur magnus ingressus. Inrantes vero in sanctum tribunal, dicunt apud se:* Benedictus qui venit in nomine Domini.

Rursus diaconus sacerdoti caput inclinans dicit: Memento mei peccatoris, domine sancte. *Sacerdos vero:* Memor sit tui Dominus Deus in regno suo jugiter, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde deponit ipse quoque sanctum calicem in sacra mensa, hunc versiculum dicens: Decorus Joseph, cum de ligno illibatatum tuum corpus deposuisset, in sindone munda et aromatibus, in monumento novo parentans locavit.

Deinceps deponit sacerdos velamenta a sancto disco, et a sancto calice, et velum aerem dictum accipiens ex humeris diaconi, postquam incensavit per ipsum, sancta coperit. Deinde diaconus sancta ter incensat, dicens: Benefac, Domine, in bona voluntate tua Sion. *Mox orantes dicunt:* Deus propitius esto mihi peccatori. *Ante sanctam mensam ter adorant. Et sacerdos quidem stat; diaconus autem inclinato capite sacerdoti dicit:* Precare pro me, domine. *Sacerdos dicit:* Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Diaconus dicit:* Idem Spiritus sanctus voviscum et nobiscum ministrabit perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Memor esto mei, domine sancte. *Sacerdot autem dicit:* Memor sit tui Deus in regno suo, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Diaconus:* Amen, amen, amen.

Et postquam adoravit, venit ad consuetum locum. dicens: Compleamus precationem nostram Domino. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro pretiosis donis propositis Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Pro sancta hac æde, et pro iis qui cum fide, pietate et timore Dei in illam ingrediuntur, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut nos liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere.

Oratio oblationis post divinorum donorum in sancta mensa depositionem, quam sacerdos secreto dicit.

Domine Deus omnipotens, solus sanctus, qui suscipis sacrificium laudis ab iis qui invocant te in toto corde, suscipe etiam nostram peccatorum deprecationem, et offer in sancto tuo altari, et fac nos idoneos ad offerendum tibi dona et sacrificia spiritualia pro peccatis nostris et populi ignorantibus, et præsta ut invenimus gratiam coram te, ut acceptum tibi sit sacrificium nostrum, et Spiritus gratiæ tuæ bonus habitet in nobis, et in propositis his donis et in toto populo tuo.

Diaconus: Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Omnem diem perfectum, pacificum et sine peccato a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Veniam et remissionem peccatorum et delictorum nostrorum a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Bona et animabus nostris competentia, et pacem mundo a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Residuum vitæ nostræ tempus in pace et pœnitentia transigere a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Christianum vitæ nostræ finem, sine dolore et dedecore, pacificam, et bonam ante terribile tribunal defensionem a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, Dominæ nostræ Deiparæ et semper virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et mutuo, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. *Chorus:* Tibi, Domine.

Sacerdos alta voce: Per miserationes unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, bono et vivifico Spiritu tuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen. *Sacerdos:* Pax omnibus. *Diaconus:* Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur. *Chorus:* Patrem, Filium et Sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem et inseparabilem.

Sacerdos ter adorat, dicens ter secreto: Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum. *Et diaconus circumplectitur stolam suam, et adorat ter, et alta voce subjungit:* Portas, portas, in sapientia attendamus. *Et chorus, Credo. Et post completum sanctum symbolum, dicit diaconus alta voce:* Stemus probe, stemus cum timore: attendamus sanctam oblationem in pace offerre. *Chorus:* Oleum pacis, sacrificium laudis.

Sacerdos alta voce: Gratia Domini nostri Jesu Christi, et dilectio Dei et Patris et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus nobis. *Chorus:* Et cum Spiritu tuo. *Sacerdos:* Sursum corda habeamus. *Chorus:*

Habemus ad Dominum. *Sacerdos:* Gratias agamus Domino. *Chorus:* Dignum et justum est adorare Patrem. Filium et Sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem et individuum.

Sacerdos inclinatus secreto precatur: Dignum et justum est te celebrare, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus ineffabilis, incomprehensibilis, invisibilis, inexcogitabilis, semper existens, eodem modo existens, tu et unigenitus Filius tuus et Spiritus tuus sanctus. Tu ex nihilo nos condidisti, et lapsos rursus erexisti; nec desiisti omnia facere, donec nos in cælum deduceres, et futurum regnum tuum largireris. Pro his omnibus gratias agimus tibi, et Filio tuo unigenito, et Spiritui sancto, pro omnibus, quæ videmus et quæ non videmus, manifestis et occultis tuis in nos beneficiis. Gratias etiam agimus pro hoc ministerio, quod ex manibus nostris accipere dignatus es; etiamsi tibi adsint millia angelorum et dena millia archangelorum, Cherubim et Seraphim sex alis instructi, multos oculos habentes, sublimes et alati. *Alta voce:* Qui victoræ hymnum canunt, clamant, vociferantur et dicunt. *Chorus:* Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabaoth: plenum est cælum et terra gloria tua: hosanna in excelsis: Benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in excelsis.

Diaconus autem accipit stolam, illamque in crucis formam super discum ducit; et postquam super corporale abstersit, et cum velo aere dicto deponit. Deinde transit in tertiam partem, et supra sancta ventilat reverenter flabello; quod si desit flabellum, hoc cum velamento facit.

Orat sacerdos secreto: Cum his quoque beatis Virtutibus, benigne Domine, et nos clamamus et dicimus: Sanctus et omnino sanctus, tu et unigenitus Filius tuus, et Spiritus tuus sanctus: sanctus es et omnino sanctus, et magnifica gloria tua: qui mundum tuum ita dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui cum venisset, et quam pro nobis susceperat œconomiam implesset nocte illa qua traditus est, imo seipsum tradidit pro mundi vita, accepto pane in sanctis suis et illibatis manibus: cum gratias agisset, benedixisset, sanctificasset, fregisset, dedit sanctis discipulis et apostolis suis dicens: *sacerdos inclinat caput, et extollens dexteram cum pietate, benedicit sanctum panem, alta voce dicens:* Accipite, comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. *Chorus:* Amen.

Diaconus vero apprehensa stola sua, ostendit et ipse cum sacerdote sanctum discum: similiterque in sancto

calice. Eodem modo cum pronuntiat sacerdos: Tua ex tuis.

Sacerdote secreto: Similiter et calicem postquam cœnavit dicens: *Alta voce sacerdos manum superne tollens cum pietate benedicens ait:* Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis et vobis effunditur in remissionem peccatorum. *Chorus:* Amen.

Sacerdos inclinans caput, orat secreto: Memores igitur salutaris hujus mandati, et omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulcri, triduanæ resurrectionis, in cælos ascensionis, a dextris sessionis, secundi et gloriosi adventus. *Alta voce:* Tua ex tuis tibi offerimus in omnibus et per omnia. *Chorus:* Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Domine, et obsecramus te, Deus noster.

Sacerdos rursus, inclinans caput, orat secreto: Etiam offerimus tibi rationabilem hunc et incruentum cultum, et rogamus, precamur et obsecramus, mitte Spiritum sanctum in nos, et in hæc proposita dona.

Diaconus deponit flabellum aut velum quod tenebat, et accedit prope sacerdotem et ter ambo adorant ante sanctam mensam, et hoc apud se precantur: Deus, propitius esto mihi peccatori. *Dicunt ter secreto:* Domine, qui sanctissimum Spiritum in tertia hora apostolis nostris misisti; hunc, o bone, ne auferas a nobis; *et hoc,* Cor mundum crea in me, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis (*Psalms*. 50. 12). *Deinde caput inclinans diaconus, ostendit cum stola sanctum panem, et dicit secreto:* benedic, domine, Sanctum panem.

Et sacerdos erectus, signat ter sancta dona, secreto dicens: Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui. *Diaconus:* Amen. *Et rursus diaconus:* Benedic, domine, sanctum calicem. *Sacerdos benedicens dicit:* Quod autem in hoc calice est, pretiosus sanguis Christi tui. *Diaconus:* Amen.

Et rursus diaconus utraque sancta stola demonstrans ait: benedic, domine. *Sacerdos vero manu utraque sancta benedicens ait:* Immutans Spiritu tuo Sancto. *Diaconus:* Amen, amen, amen. *Et diaconus postquam caput inclinavit sacerdoti, et dixit ei:* Memento mei peccatoris, sancte domine, revertitu in locum in quo prius steterat, accepto ut antea flabello.

Sacerdos autem orat secreto: Ut fiat accipientibus in vigilantiam animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem Spiritus sancti, in regni cælorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum et

condemnationem. Item offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro iis, qui in fide mortui sunt, majoribus, patribus, patriarchis, prophetis, apostolis, prædicatoribus, evangelistis, martyribus, confessoribus, abstinentibus, et quovis spiritu in fide consummato.

Alta voce: Præsertim pro sanctissima, intemerata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara et semper virgine Maria. *Chorus canit:* Dignum est certe te beatam prædicare Deiparam. *Vel quod proprium est diei canitur.*

Diaconus in circuitu incenso cohonestat sanctam mensam et diptycha. Defunctorum autem et viventium, quorum vult, memoriam agit. Sacerdos autem inclinatus orat secreto: Sancti Johannis prophetæ, præcursoris et Baptistæ, Sanctorum et celebrium apostolorum, Sancti N. cujus memoriam colimus, et omnium sanctorum tuorum, quorum precibus protege nos, Deus, et memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis vitæ eternæ. *Hic sacerdos memoriam agit quorum vult vivorum et mortuorum; pro vivis dicit:* Pro salute, protectione, et remissione peccatorum servi Dei N.: *Pro mortuis dicit:* Pro requie et remissione animæ servi tui N. in loco lucido, unde aufugit dolor, gemitus, da illi requiem, Deus noster, et fac eam quiescere, ubi circumspicit lumen vultus tui. Etiam rogamus te, memento, Domine, omnis episcopatus orthodoxi, eorum qui recte tractant verbum veritatis tuæ, omnis presbyteratus et in Christo diaconatus, et omnis sacerdotalis ordinis. Adhuc offerimus tibi hunc rationabilem cultum pro orbe terræ, pro sancta, catholica et apostolica Ecclesia, pro iis qui castitate et recto instituto vitam agunt: pro fidelissimi et Christi amantibus Imperatoribus nostris, pro toto palatio et exercitu illorum: da illis, Domine, pacificum imperium, ut et nos in ipsorum tranquillitate, quietam vitam agamus, cum omni pietate et honestate.

Diaconus quidem convertitur ad portam sancti tribunalis, tenens stola tribus extremis digitis, et dicit: Et cunctorum et cunctorum. *Chorus autem canit:* Et cunctorum et cunctorum. *Sacerdos autem alta voce dicit:* In primis memento, Domine, archiepiscopi nostri N. quem concedas in ecclesiis tuis esse salvum, honoratum, sanum, longevum, recte tractantem verbum veritatis tuæ. *Et diaconus ad ianuam stans dicit:* Sacratissimi metropolitæ N. aut episcopi N.: et pro offerente sacra dona ista piissimo sacerdote N.: pro salute piissimorum et a Deo custoditorum Imperatorum nostrorum, et cunctorum et cunctorum. *Chorus:* Et cunctorum et cunctorum.

Sacerdos orat secreto: Memento, Domine, civitatis, in

qua habitamus, et omnis urbis ac regionis, et eorum qui cum fide in ipsis habitant. Memento, Domine, navigantium, iter agentium, ægrotorum, laborantium, captivorum, et salutis ipsorum. Memento, Domine, eorum qui fructum afferunt, et bene operantur in sanctis tuis Ecclesiis, et qui pauperum recordantur, et in nos omnes misericordias tuas emitte. *Alta voce:* Et da nobis uno ore et uno corde glorificare et celebrare venerandum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Sacerdos convertit se ad portam et benedicens alta voce dicit: Et erunt misericordiæ magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. *Chorus:* Et cum spiritu tuo. *Et diaconus egreditur, si adest; sin minus, sacerdos, et stans in consueto loco dicit:* Omnium sanctorum memoriam agentes, etiam atque etiam Dominum precemur. *Chorus:* Domine miserere. *Diaconus:* Pro oblatiis et sanctificatis pretiosis donis Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut benignus Deus noster, qui suscepit ea in sanctum, supercæleste et intellectuale altare suum, in odorem suavitatis spiritualis, mittat vicissim nobis divinam gratiam et donum sanctissimi Spiritus, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Ut eruamur nos ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. *Chorus:* Domine, miserere.

Sacerdos orat secreto: Tibi vitam totam et spem nostram commendamus, clemens Domine, et rogamus te, precemur et obsecramus, ut cælestium tuorum ac tremendorum mysteriorum hujus sanctæ et spiritualis mensæ cum pura conscientia participes esse dignemur, ad remissionem peccatorum et veniam delictorum, in Spiritus sancti communionem, in regni cælorum hereditatem, in fiduciam erga te, non in iudicium aut condemnationem. *Diaconus:* Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Diem totum perfectum, pacificum et sine peccato a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Veniam et remissionem peccatorum et delictorum nostrorum a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Bona et utilia animæ nostræ, et pacem mundo a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Residuum tempus vitæ nostræ in pace et pœnitentia transigere a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:* Christianum vitæ nostræ finem, sine dolore et dedecore, pacificam, et bonam ante terribile tribunal defensionem a Domino petamus. *Chorus:* Concede, Domine. *Diaconus:*

Unitatem fidei et communicationem sancti Spiritus petentes, nosmetipsos invicem, et totam vitam nostram Domino consecremus. *Chorus:* Tibi, Domine.

Alta voce sacerdos: Et dignos nos facias, Domine, ut cum fiducia et sine crimine invocemus te cælestem Deum Patrem et dicamus. *Chorus:* Pater noster. *Sacerdos alta voce:* Quia tuum est regnum et potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen. *Sacerdos:* Pax omnibus. *Chorus:* Et cum spiritu tuo. *Diaconus:* Capita vestra Domino inclinate. *Chorus:* Tibi, Domine.

Diaconus igitur inclinans paululum caput, et videns sacerdotem adorantem, adorat et ipse. Sacerdos inclinatus secreto precatur: Gratias agimus tibi, rex invisibilis, qui per immensam virtutem tuam omnia creasti, et ex multitudine misericordiæ tuæ ex nihilo omnia condidisti: ipse, Domine, de cælo respice eos qui tibi capita inclinant; non enim inclinant carni et sanguini, sed tibi tremendo Deo. Tu ergo, Domine, proposita nobis in bonum ex æquo distribue secundum cujusque necessitatem: cum navigantibus naviga, cum iter agentibus iter age, ægrotos sana, medicus animarum et corporum. *Alta voce sacerdos:* Gratia et miserationibus et benignitate Unigeniti Filii tui, quicum tu benedictus es, cum sanctissimo, bono et vivifico tuo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Sacerdot orat secreto: Attende, Domine Jesu Christe Deus noster, ex sancto habitaculo tuo, et ex throno gloriæ regni tui, et veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, et hic nobiscum invisibiliter versaris: et dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus et pretiosum sanguinem tuum, et per nos toti populo. *Deinde adorant sacerdos et diaconus, in eo in quo stant loco, ter secreto dicentes:* Deus, propitius esto mihi peccatori. *Et populus similiter, omnes cum pietate adorant. Cum autem viderit diaconus sacerdotem manus extendentem, et tangentem sanctum, ut faciat sanctam elevationem, alta voce dicit:* Attendamus. *Et sacerdos:* Sancta sanctis. *Chorus:* Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloriam Dei Patris. Amen.

Tum cantat chorus communionem diei, aut sancti, cujus est festum. Et diaconus præcingit se stola in crucis modum, et stans a dextris sacerdotis qui panem tenet, dicit: Divide, Domine, panem sanctum. *Sacerdos autem attente et pie dividens illum in quatuor partes dicit:* Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur et non dividitur, qui semper comeditur, et numquam consumitur, sed eos qui sunt participes sanctificat.

Tunc accipit unam sancti panis partem, et manu tenet. Et diaconus ostendens cum stola sanctum calicem dicit: Imple, domine, sanctum calicem. Sacerdos autem dicit: Plenitudo fidei Spiritus Sancti. Et facto signo crucis immittit in sanctum calicem. Diaconus: Amen. Et accepta ferventi aqua, dicit sacerdoti: Benedic, domine, sanctam hanc fervidam. Sacerdos benedicit dicens: Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Diaconus autem infundit in modum crucis intra sanctum calicem dicens: Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen. Et hoc facit ter, et deposito ferventi vase, stat paululum retro. Sacerdos autem dicit: Accede, diacone. Et accedens diaconus pœnitentiam pie exhibet et petit veniam. Sacerdos autem tenens sanctum panem, dat diacono. Et exosculans diaconus manum sibi porrigentem, accipit sanctum panem, dicens: Impertire mihi, domine, pretiosum et sanctum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Sacerdos autem dicit: Do tibi pretiosum, sanctum et illibatum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, in vitam æternam.

Et secedit pone sanctam mensam, inclinans caput, et orat eodem modo quo sacerdos. Simili modo sacerdos accipit sanctum panem, inclinans caput ante sacram mensam, et sic precatur:

Credo, Domine, et confiteor quod tu es Deus et Filius Dei vivi, qui venisti in mundum ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum. Et cœnæ tuæ mysticæ hodie, Fili Dei, consortem me accipe. Non enim inimicis tuis mysterium dicam, non osculum tibi dabo sicut Judas, sed sicut latro confiteor tibi: Memento mei, Domine, in regno tuo; et, Domine, non sum dignus, ut sub sordidum tectum animæ meæ ingrediaris, sed sicut dignatus es in spelunca et præsepio brutorum reclinari, et in domo Simonis leprosi, etiamque mihi similem meretricem peccatricem ad te accedentem recepisti, digneris etiam in præsepium animæ meæ rationis expertis, et in speluncam corporis mei mortui et leprosi intrare. Et sicut non abhorruisti os sordidum meretricis osculantis intemeratos pedes tuos: sic, Domine Deus meus, ne abhorreas me peccatorem, sed ut bonus et clemens, dignare me participem fieri sanctissimi corporis et sanguinis tui.

Deus noster, condona, ignosce, remitte mihi peccatori, quæcumque in te admisi, voluntaria et involuntaria; sive sciens, sive ignorans; seu verbo, seu opere, seu concupiscentia commiserim: omnia mihi indulge, ut bonus et clemens, intercessionibus intemeratæ et semper virginis matris tuæ. Indemnatum me custodi, ut sumam pretiosum et immaculatum corpus, ad medelam animæ et corporis: quia tuum est regnum et

potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et sic sumunt sanctum panem similiterque sanctum calicem. Et sumit prius quidem sacerdos tres haustus in una inclinatione, et in primo haustu dicit: In nomine Patris, in secundo, in nomine Filii, in tertio, in nomine Spiritus sancti. Et post sumptionem abstergit velamine sanctum calicem, et labia sua dextere simul et pie dicens: Hoc tetigit labia mea, et auferet iniquitates meas, et peccata mea purgabit jugiter, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Tenens autem sanctum calicem, vocat diaconum dicens: Diacone. accede. Et diaconus venit, et adorat semel dicens: Ecce accedo ad immortalem Regem: et illud, Credo et confiteor, totum. Et dicit sacerdos: Communicas, serve Dei diacone N., pretioso et sancto corpori et sanguini Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, et in vitam æternam. Postquam communicavit diaconus, dicit sacerdos: Hoc tetigit labia tua, et auferet iniquitates tuas, et purgabit peccata tua: ut pro seipso dixerat.

Tunc accipiens diaconus sanctum discum super sanctum calicem, sancta spongia diligenter abstergit, cum attentione et pietate, et velo sanctum calicem tegit, et alia similiter vela et stellam sancto disco imponit. Et sancti tribunalis portam aperiunt: et diaconus semel adorans, sumit sanctum calicem cum veneratione, et venit ad ostium, et attollens sanctum calicem ostendit ipsum populo dicens: Cum timore Dei, et dilectione accedite. Chorus: Amen, amen, amen. Benedictus qui venit in nomine Domini. Et sacerdos benedicit populum, dicens alta voce: Serba, Deus, populum tuum, et benedic hereditatem tuam. Et Chorus: In multos annos, Domine.

Et revertuntur diaconus et sacerdos ad sanctam mensam: et incensum offert sacerdos ter dicens apud semetipsum: Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua. Deinde accipiens sanctum discum ponit super caput diaconi. Et diaconus suscipiens ipsum cum veneratione respiciens extra versus januam, nihil loquens pergit, ad mensam propositionis, et deponit ipsum. Sacerdos autem adorans et accipiens sanctum calicem, conversus ad januam videt populum dicens: Perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Chorus: Amen.

Dum psallitur, repleatur, deferuntur illa ad sanctam propositionibus mensam, precedente diacono, sacerdote dicente hanc orationem secreto: Gratias agimus tibi, Domine benigne, benefactor animarum nostrarum, quia in præsentī die dignatus es nos

cælestibus et immortalibus mysteriis tuis. Viam nostram dirige, confirma nos omnes in timore tuo, custodi vitam nostram, tutus fac gressus nostros, precibus et supplicationibus gloriosæ Deiparæ et semper virginis Mariæ, et omnium Sanctorum tuorum.

Et diaconus postquam incensum emisit in sancta, et thuribulum deposuit, in consueto loco stans dicit: Recti participes effecti divinorum, sanctorum, illibatorum, immortalium, cælestium et vivificorum mysteriorum, digne gratias agamus Domino. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Suscipe, serva, miserere et custodi nos, Deus, gratia tua. *Chorus:* Domine, miserere. *Diaconus:* Diem omnem, perfectum, sanctum, pacificum, et a peccato immunem postulantes, nos ipsos et invicem, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. *Chorus:* Tibi, Domine. *Alta voce sacerdos:* Quia tu sanctificatio nostra, et tibi gloriam referimus, Patri et Filio et Sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen. *Diaconus:* In pace procedamus; *et rursus:* Dominum precemur.

Oratio pone ambonem alta voce a sacerdote extra tribunal pronuntiata.

Qui benedicis benedicentes te, Domine, qui sanctificas eos qui in te confidunt, serva populum tuum et benedic hereditatem tuam: plenitudinem Ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica eos qui diligunt decorem domus tuæ: tu illos vicissim glorifica divina tua virtute, et ne derelinquas nos, qui speramus in te. Da pacem mundo, Ecclesiis tuis, sacerdotibus, regibus nostris, exercitui, et omni populo tuo: quia omne datum bonum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens ex te Patre luminum, et tibi gloriam, gratiarum actionem et adorationem referimus, Patri et Filio et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. *Chorus:* Amen.

Dum hæc oratio dicitur, stat diaconus ante sanctas januas, et tenens stolam suam, ut sæpe dictum est, caput inclinat usque dum completa est oratio. Et chorus ter psallit illud: Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc usque in sæculum; *et psalmum.* Benedicam Dominum, *vel sancti illius diei.*

Oratio dum contrahuntur sancta, secreto.

Qui plenitudo legis et prophetarum es, Christus Deus noster, qui omnem paternam œconomiam implevisti, imple gaudio et lætitia corda nostra perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Post orationem egreditur sacerdos, et stans in consueto loco, distribuit panem benedictum. Deinde facit

dimissionem dicens: Gloria tibi, Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi. *Et chorus:* Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. *Et si sit Dominica, dicit sacerdos:* Qui resurrexit ex mortuis Christus, verus Deus noster. *Si vero non sit dies resurrectionis, dicit:* Christus verus Deus noster, precibus intemeratæ suæ matris, divina virtute pretiosæ et vivificæ crucis, sanctorum gloriosorum et celebrium apostolorum, sancti N. *cujus festum illo die colitur;* sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi, archiepiscopi Constantinopolitani, sanctorum et justorum Dei parentum Joachim et Annæ, et omnium sanctorum, misereatur nostri et servet nos, ut bonus et clemens.

Et benedicens populum, ingreditur. Post dimissionem autem, si non est diaconus, intrat sacerdos ad mensam propositionis, et quod residuum est in sancto calice, attente et reverenter consumat, sanctum calicem ter vino et aqua abluit, et attendit ne maneat particula, quæ vocatur margarita. Tunc dicit: Nunc dimittis servum tuum, Domine; *totum hymnum.*

Et colligit sancta, calicem, discum cum velis, pro more. Si vero adsit diaconus, id ipse facit. Sacerdos autem abit in vestiarium, et se exiit, ter dicens illud. Sanctus Deus; *et illud.* Sanctissima Trinitas; *et illud,* Pater Noster.

Tunc dicit dimissorium Chrysostomi: Oris tui velut fax resplendens gratia, orbem illuminavit, liberalitatis thesauros in mundo deposuit, altitudinem humilitatis nobis ostendit. Sed qui tuis verbis nos doces, Pater Joannes Chrysostome, intercede apud Christum Deum pro salute animæ nostræ.

Post hanc breviculum: De cælis accepisti divinam gratiam, et labiis tuis omnes doces in Trinitate unum Deum adorare, Joannes Chrysostome beatissime, sancte. Condigne celebramus te; es enim præceptor, ut divina manifestans. *Vel dicit diei breviculum, vel resurrectionis, si sit Dominica, et dimissionem, ut moris est, secreto. Tunc exit ad januas sancti tribunalis, indutus vestimento suo sacerdotali, et adorat, dicens:* Deus propitius esto mihi. *Et conversus ad populum benedicit, alta voce dicens:* Custodiat Dominus Deus vos omnes in gratia sua et benignitate, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. *Populus autem inclinato capite dicit:* Per orationes sanctorum Patrum. *Et in pace cum sancto Deo discedunt.*

De situ interretiali
cujusdam monasterii orthodoxi in Italia
sumpta ac exinde exarata

